847

ANDREAE TRICESII EQVITIS POLONI, SYLVARVM LIBER PRIMVS.

AD REVERENDVM ET MVLTIS PRÆCLARIS VIRTVTIBVS INSIGNEM VIRVM SIMONEM LVGOVIVM, PRÆPOSITVM MECHOVIENSEM, &c.
Studiosorum Patronum Munificum.



AVrea Sauromatum redeunt iam sæcula genti,
Virtutiq; suus restituetur honos,
LVGOVIVS postq; Musarum insignis amator
Altius è terris tollit in astra caput.
Nec dubito quòd adhuc maiora sequentur honorum
Augmenta, & plures copia fundet opes,
Tu modò fortunę Rector mitissime cœli
In meliùs placida dirige vela manu.

SYLVA PRIMA
AD REVERENDVM ET MVLTIS PRÆCLARIS VIRTVTIBVS INSIGNEM VIRVM SIMONEM LVGOVIVM, PRÆPOSITVM MECHOVIENSEM, *& cæt.* STVDIOSORVM PATRONVM MVNIFICVM.

QVod te LVGOVI vultu fortuna benigno
Spectat, & in mundi Pelago tua lenibus auris
Vela ferat, portum donec peducat ad ipsum,
Gratulor ex animo, & votis, precibusq; fatigo
Cœlicolũm Regem, cui rerum summa potestas,
Prospera sic reliquos fata vt comitentur amicos.
Me quia ad exemplum sors infœlicis Vlissêi
Casibus aduersis, varijsq; erroribus actum,
Non sinit optatę metam contingere vitę,
Multi fortè dolent, sed non minor & tua pungit
Corda dolor, patrio qui me dignaris amore
Nec dubito multis pietas benè cognita rebus
Vt mihi sæpe tua est, quod nostra Machaonis instar
Vulnera curabis, varios & pectoris æstus,
Cũm facilem fortuna viam nunc pandat, opumq;
Aurea te pleno perfundat copia cornu.
Hoc facit vt LAscus patrię lux splendida nostrę,
Qui lenes Zephyros imitatur, & æquore vasto
Iactatam in tutos portus subducere puppim

Tentat,

Tentat, & vsq; suam comitari me velit Argo.
Cuius ego laudes cantabo hæc vita superstes
Donec erit, magnumq; feram super æthera nomen
Herois nulli duro Mauorte secundi.
Nil humile hic spirans, at semper in ardua tendens,
Si quid habent, vt habent, cœlestia sydera veri,
Lachicus Aesonides erit alter, & alter Achilles.
Scipiadę exemplis magno molimine rerum
Barbaricas patrio propellet ab orbe Phalanges,
Et coget iuga dura pati, imperiumq; potentis
Sauromatûm regni: statuit sic arbiter ille
Terrarum Omnipotens, cœliq;, Erebiq; profundi.
Te quoq; laus non parua manet pietatis, & huius
In me animi, gratoq; ferens te pectore, vitę
Omne meę quod fata dabunt celebrabo per æuum.
Insignem candore virum, diuina sub ipsum
Aethera sublimi quem tollet vertice virtus.
Perge modò, & stabilem conseruans vatis amorem
TRICESII tenues promptè illius assere Musas.

Sylua

SYLVA SECVNDA DE OBITV VENCESLAI SAMOTVLINI, MVSICORVM IN REGNO POLONIÆ PRINCIPIS; THRENODIA.

QVę mihi tristes querelas?
Quę perennes lachrymas?
Vt fluant torrentis instar
Mœsta Musa conferet?
Nænias dum VENCESLAI
Fratris ô suauissimi
Pressus ingenti dolore
Funebrales persequor.

II.

SIC vbi est erepta fato
Chara compar turturi,
Arboris sedens in alta
Ponè flumen consitę
Fronde lugubrem sonare
Assolet melodiam.
Vt Nidę ad fluenta tristis
Nunc gemit TRICESIVS.

III.

NEC minus per omne Regnum
REX POLonus quod tenet,
Turba

Turba mœſta Muſicorum
CYPRiano præuio,
Turba mœſta candidorum
Omnium ſodalium,
O dolor, dolor, frequenti
Eiuſatu perſonat.

IIII.

TEńe lumen Muſicorum?
Teńe vates optime?
Teńe noſtri VENCeſlaë
Pectoris pars maxima?
Tam citò ô nimis maligna
Parca nobis eripit?
Pectus heu noſtrum præalto
Sauciando vulnere.

V.

Luſtra vitę ſex, & annos
Quattuor vix egeras,
Vix decem menſes amatę
Coiugi conuixeras,
Cùm graui premente morbo
Carnis ex ergaſtulo
Euocatus es ſupremi
Regis ad conſortium.

VI.

TE quidem benigna CHRISTI
Iam beauit gratia,
Cùm dat in cœlis quiete
Sempiterna perfrui,
Nos ſodalis, atq; fratris
Iure conſuetudine
Flemus orbati maligno
Mundi in huius carcere.

VII.

Ergo viue, viue cœlo
In perenni gaudio,
Viue terris deſituri
Laude nunquam nominis,
Totus acclamat tuorum
Grex tibi ſodalium,
Et tuus confrater ille
Triſtis heu TRICESIVS.

VIII.

VAtis ad ſepulchra Muſę
Excubantes iugiter,
Et roſas, benè & fragrantes
Floſculos aſpergite,
Et loco ſublimiore
Lauream ſuſpendite,

Omnis

Omnis vt vatem viator
Eſſe noſcat optimum.

I. X.

Omnis vt viator eius
Dum ſepulchra præterit,
Dicat, ô lux Muſicorum
Atq; vates optime,
Viue cœlo VENCeſlaë
In perenni gaudio,
Viue terris VENCeſlaë
In perenni gloria.

SYLVA TERTIA
AD POTENTISSIMVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM AVGVSTVM POLONIÆ REGEM, MAGNVM DVCEM LITVANIÆ, &cet. IN EXPEDITIONE LIVONICA; EXHORTATIO.

ARma viri properate: nocet differre paratis:
Exclamat Gradiuus ouans, & ſigna reuellit.
Liuonum triſtes furias, mentemq; ſuperbam,
Tempus adeſt annis memoranda vt clade futuris
Iam reprimas AVGVSTE, tuumq; attollere cœlo
Incipias nomen, magnumq; imitêre Parentem,
Deuicto toties qui magnis viribus hoſte,

Clara

Clara Trophæa polo ſtatuit frigente ſub Vrſę,
Auſpicibus diuis: eadem nunc inclyte Princeps
Te ſequitur fortuna: Ruunt ecce agmine denſo
Sarmatici iuuenes, & robuſtiſsima mundi
Corpora, gens duri ſtudijs aſperrima belli.
Scilicet hoc vaſto quaquà patet ille ſub orbe
Splendidius nihil eſt, ſeu quis pulcherrima ſpectet
Agmina Huſaronum cœlo capita alta ferentũm
Celatis rutilo galeis ſublimibus auro.
Quis ſole aduerſo clypeos vt ſydera ſummi
Fulgentes cœli non admiretur? & arma
Tot cataphractorum atq; horrentes ære cateruas.
Sic turmas nigrorum equitum, Brunſuitica rellus
Quales ferre ſolet, qui magno horrenda fragore
Fulmina ſclopetis cœlum iaculantur in altum,
Sic etiam celeres rapidis qui curſibus Euros
Acribus exæquant in equis, diramq; ſagittis
Dant mortem, Scythico pugnantes more Koſacos.
Caſtra videns etiam tot curribus vndiq; cincta,
Vrbem amplam aërijs cum turribus eſſe putabit.
Vix aliquis forſan ſummorum hoc tempore Regum
Par tanto ſplendore foret, ſoluſq; camelis,
Atq; equitum numero certauerit ille Tyrannus
Turcarum, tot habens ditiſsima regna, tot vrbes.

Venerit

Venerit vt primùm Liuonum rumor ad aures,
Posp holam fines iam te aduentare sub ipsos,
Aspicies subitò turbatio quanta sequetur,
Et quàm terrifici tota regione tumultus.
Forsitan accurrent illi, finesq́ꝫ tueri
Tentabunt, sed eos vt REX AVGuste repellas
Non opus est multos equites lassare, Kosaci
Sufficient regit imperio quos Martius ille
Douoynus, pridemq́ꝫ in finibus excubat ipsis
Iussa tua expectans. At post tormenta iubebis
Certatim exonerare, vt magno terra tremiscat
Hostilis sonitu, cœlumq́ꝫ remugiat altum.
Mox illi referentq́ꝫ pedem, trepidiq́ꝫ nec ipsum
Castrorum poterunt conspectum ferre tuorum.
Tu modò perge bonis auibus: victoria cœlo
Certa aderit: iubet vltrices te sumere pœnas
Criminis admissi Nemesis, mentisq́ꝫ superbę.
Neu cesses, & vulpinis tua pectora verbis
Molliri patiare, cauet: nam quæritur vnum
Hoc illis nunc arte moras vt nectere possint,
Externo careant cùm milite, nilq́ꝫ paratum
Penè sit, hæc alium quo bella trahantur in annum.
At citiùs tu rumpe moras, occasio cùm sit
Commoda, & obtineas ius armis: arma tenenti
Omnia dat, qui iusta negat: Liuonia certè
Hoc anno poterit titulis accedere nostris.

Nam venient, cùm spem nullam superesse videbunt,
Poscentes veniam, FIRSTembergerus & ipse,
Quem tu vt cunctorum causam, fontemq; malorũ,
Conijcias sceleratum æterna in vincula : nunquàm
Cessabunt illa siquidem regione tumultus
Hic si liber erit : reliquis, clementia toto,
Indulgere potes, tua magna vt clareat orbe.
Quis mihi tunc animus? quę te ducente triumphũ
Gaudia mentis erunt? quando MELecius heros
Sublimi cataphractus equo, gentisq; Polonę
Armipotens belli stipendia turba merentûm,
Spontè tibi intrabunt oblatę mœnia Rigę.
Vna ardens animis acerrima Prutenorum
Gens cum Masouijs fera bella frementibus vltrò.
Totq; Palatini, Castellaniq; feroci
Marte potens legio : quorum si nomina vellem
Dicere, vix claudi magno illa volumine possent.
Nunc sat erit nos Ductores memorasse supremos,
Rexerunt Litauę qui ingentia robora gentis.
Quos inter primus, longè & clarissimus ille est,
Post Regem Arctoa summa in regione potestas,
Heros Magnanimus RADIuilus, & alter in armis
Fulmineus Mauors, Olicę Dux, Imperijq;
In gremium ascitus (magna hæc est gloria) Sacri.
Hunc sequitur frater mellita Suada, Venusq;
Cuius in ore sedet, sed non minus acer in hostes

Consilio,

Consilio, atq; manu quando Respublica poscit.
Tertius in numero est tuus ò Samogittia præses,
Lux Chodkouicię, & sublimis gloria gentis,
Cum nato magnum qui spirat pectore robur,
Pectore sublimi, & spectandus corpore vasto.
Tu tamen antè alios longè pulcherrimus omnes,
Ceu quoddam numen radians splendentibus armis,
Agmine procedes medio, te ponè iuuentus
Aulica, flos Regni, longè, lateq; caterue
ære coruscantes, gemmisq;, auroq; superbę.
Ponè etiam Proceres, qui nunc tua castra sequunt
Spontè sua, illustres GORCani, atq; inclyta pubes
Ad vitreum Vartam, camposq; POLonia maior,
Nata tuos. At post FIRLeius acer in armis,
Tuq; decus nostrum TARNoui, & maxima Regni
Post patrem spes Lachiaci, qui laudibus æquat
Antiquos Heroas, & est primo ordine primus.
Nec minùs arguto ingenio, quàm robore præstans
CRETCouius, cum Sluzouio, facundus & ille
Consultus Legum Patriarum SIRACouinus.
Et VOLscus Masouiticę laus splendida gentis.
Gostinięq; alter VOLscus qui præsidet arci.
Et RADEiouius præsignis, DZIERgouiusq;.
Atq; adeò magni nunc lumina prima Senatus,
Queis sublime Polo caput infert inclyta virtus,
OYCEscus magnus, magnusq; PRERembius: illis

 Pectora

Pectora consiliis fœcunda, & maxima vis est
Eloquii, vix vt Cicero certauerit ipse.
Atq; alii egregii Proceres belloq;, togaq;,
Quos laudare satis, cœloq; attollere cantu,
Non opis est nostrę, cuius de paupere vena
Serpit humi carmen, nec plenis profluit vndis.
Carmine Vergilii, vel carmine vatis Iberi,
Quo nunc se meritò gens clara Royzia iactat,
Esset opus: nec ob id tamen ipse silebo, tibiq;
Zoile quod carpas vt sit, cantabo triumphos
Qualicunq; tuos, totumq; ab origine bellum,
Carmine, si fuerit REX Inclyte vita superstes.
Dicar vt argutos interstrepere anser olores.
At postquàm antiquā tu Rigę intraueris arcem,
Certatim innumeros lymphato accurrere gressu
Liuones, teq; extensa ceruice stupentes
Mirari tantum Regem, tantoq; videbis
Instructum comitatu, à multis nullus vt annis
Huic sit Christiaco similis conspectus in orbe.
Illis sacra dabis tunc iura, & fœdera pacis
Constitues, iam perpetuos mansura per annos.
Ipse ego lætitia exultans, vbi videro frustrà
FIRSTembergerum dura inter vincla frementem,
Da meritas hominum dicam stultissime pœnas,
Ausus es aduersus tantum qui sumere Regem
Arma, Aquilam veluti si fortè lacessere tentet

Crudeli

Crudeli infœlix periturus funere Coruus.
Te domito secura potest Liuonia belli
Aeternam pacem sperare à Rege POLono:
Iungere amicitias: vicinos fortiter hostes
Coniuncta superare manu, celebriq; triumpho
Sub iuga Barbaricas iam mittere sæua cateruas.

SYLVA QVARTA

AD ILLVSTREM VIRVM ALBERTVM A LASCO COMITEM, TERRARVM MOLDAVIÆ TVM TEMPORIS SVPREMVM EXERCITVVM DVCEM, ET ARCIS CHOCIMI PRÆFECTVM DIGNISSIMVM.

LASCE tuam quoties celsam consydero mentē,
Virtutesq; animo ritè reuoluo tuas,
Maiorem magno te iudico Patre futurum,
Quamuis non habuit nuper & ille parem.
Dent modò clementes superi fœlicia vitę
Sydera, perpetuo quę tua vela regant.
Hoc alios video mecum sentire POLonos,
Pectora qui niueo tincta colore ferunt,
Et rectè expendunt tua sub iuuenilibus annis,
Aetatem præter, fortia facta, tuam.
Idq; etiā haud dubiè probat inclytus HERaclides,
Ditia Moldauię qui modò sceptra tenet,
Teq; sibi asciuit fidum prudenter Achatem,
Cuius ALEXandri castra fugauit ope.

Nunc ipſe expulſo regnat fœliciter hoſte,
Euehit ad ſummum ſic Deus ipſe ſuos,
Præter ſpes hominum, magnoq; inſignit honore,
Et fama, nunquam quę moritura viget.
Quippè manu parua populos ſuperare feroces,
Et facere imperio deindè ſubeſſe ſuo,
Præſertim bellis aſuetos ſemper, & armis,
Ardua res magnis Regibus antè fuit.
Atq; ideò viuet Samiorum gloria gentis
Princeps, cui nomen Gratia Dia dedit.
Viuet, & æterno tecum memorabitur æuo,
Donec erunt rapidi cana fluenta Tyrę.
Fabula quin etiam vulgi, ferus ille tyrannus,
Qui miſero preſsit ſubdita colla iugo,
Totq; ſuos nigrum ſine cauſa miſit ad orcum,
Et tulit afflictę plebis auarus opes.
Sed dedit hæc meritas ſuperis violentia pœnas,
Nunc mendicato paſcitur ille cibo,
Suſpiratq; fremens, in mentem vbi venerit illi,
Hoſtem te Chocimo præpoſuiſſe ſuum,
Et tua quod meruit præſtans heroica virtus,
Quod te fratris habet ille, colitq; loco.
Et fecit ditio quà nunc patet illius ampla,
Militię primum totius eſſe Ducem,
Arbitrioq; ſuo gentem frenare ſuperbam,
Cum belli immitis tempus adeſſe ſolet.

Rarus honos, rarumq; decus, sed rariùs ista
Nihil virtute tua gens quoq; nostra tulit.
Hinc quicunq; decus virtutum hoc grande tuarũ,
Cernit, an immeritò sic stupefactus ait?
Quando Dei nutu sint totum clara per orbem,
Hæc tyrocinij bellica facta tui,
LASCE tibi similem vix postera proferet ætas,
O ingens patrię sydus, honosq; tuę.
Sis igitur fœlix bello, dextramq; potentem
Sentiat hostilis barbara turba tuam.
Sis etiam fœlix, vbi sacrę tempora pacis
Tranquillos facient viuere posse dies.

SYLVA QVINTA AD DEVM OPT. MAX. ADVERSVS MOSCORVM TYRANNVM PRECATIO.

O Qui supernas omnipotens domos,
Terręq; tractus, & mare temperas:
Cuiusq; nutus inferorum
Terrificę reuerentur vmbrę.
Si te proteruę plena superbię
Authore pœnas mens miserabiles
Aeuo dat omni, siue cœlo,
Seu miseris furiata terris.
Cur Moscus ipsos erigit ad polos
Impunè cristas? per vetitum ruens
Nefas, &

Nefas, & insontes fatigat
Cædibus, omnigenaq́ꝫ clade?
Nec cernit illos qui manet exitus,
Iniusta bella qui temerario
Ausu inferunt, & nil verentur
Te scelerum Deus alme vindex.
Sennacheribi militię duces,
Tristes ruinas dum Solymis parant,
Regemq́ꝫ te iactant in ipsum
Cœlicolûm furiosa verba.
Scelus luerunt exitio graui,
Delapsus alto, myriades necat
Noctem per vnam Barbarorum,
Octodecim, violentus vltor.
Sic Holofernes impius occidit.
Caput reuulsum fæminea manu
Muris pependit Bethulię:
Et simul occubuêre multę
Fusę phalanges Assyrij ducis:
Atqꝫ indè summis libera gaudijs
Hebræa gens egit triumphos.
Sic etiam truculentus ille
Vastator orbis, dum superûm decus
Transferret in se Nabuchodonosor,
Seq́ꝫ insolenter conditorem
Assereret Babylonis almę
Deiectus

Deiectus alto nobilis imperi
Gradu, ferarum lustra per auia
Captus pererrat mente, carpens
Ore rudes bouis instar herbas.
Casu scelestus consimili ruat
Moscę tyrannus gentis, & aspera
Tandem quiescant in potenti
Sauromatûm regione bella.

SYLVA SEXTA

AD MAGNIFICVM ET EXCELLENTEM VIRTVTE VIRVM, DOMINVM STANISLAVM SPLAVIVM, CASTELLANVM CRIVINENSEM; & cæt.

VIue fœlici generose fato
SPLAui, & æterno tua LVNA & ASTRVM
Stemma præclarum generis paterni
Splendeat igne.
Igne virtutum rutilo coruscans
Est ferax semper genus hoc potentûm
Pacis, & belli studijs Polono
Orbe virorum.
Tu quoq; haud cessas, domus vt paterna
Non modò magnis opibus paratis,
Laude sed vera sit vt illa per te
Auctior omni.

Hinc es amplexus sacra literarum,
Et faues doctis, & opem benignam
His ferens, castis peramœna præbes
Ocia Musis.

En tui LEGES studio, atq; cura
Nosse, Ciuiles, poterit GROhici
Nostra semotis salebris iuuentus
Ordine certo.

Perdet harpy as ea res forenses,
Planum iter cuiuis siquidem patebit
Iuris ad cunctos apices fideli
Mente tenendos.

Iuris hinc quisq;, & studiosus æqui
Te feret nostrum meritis per orbem
Laudibus, fœlix recinens benigne
Viuito SPLAVI.

SYLVA SEPTIMA DE PRAECLARIS DECIORVM FAMILIÆ INSIGNIBVS.

FLoreat vera DECII propago
Laude virtutum, similesq; nullo
Ferre præstanti ingenio nepotes
Desinat æuo.

Prodijt sacri Imperij vetustum
Hoc genus nostris gremio sub annis,

Et suas sedes Lachię potentis
Fixit in orbe.
Seq; Regali obsequijs in Aula
Tradidit, magnam meruitq; laudem
Munus à Rege impositum fideli
Pectore curans.
Ac licèt priscum sat erat parentûm
STEMMA FALX vites resecans recurua,
Hoc genus monstrans vitijs resectam
Ducere vitam.
Huic tamen præstans meritum, fauorq;
Addidit iunctas AQVILIS BIPennes,
Queîs domus fœlix clypeos perornat
TENCiniorum.
At Dei nutu esse datas videmus,
Denotant mentem siquidem sagacem
Istius gentis, variasq; fausto
Sydere dotes.
Quippè sublimes AQVILAE sub auras
Vt volant, sic his etiam alta mens est.
Non humi serpunt, sed in astra magno
Impete tendunt.
Robur at duras animi BIPennes
Aequat, & veri studium, quod vno
Quamlibet falsi intrepidè Chimæram
Deijcit ictu.

 Sit Deo

Sit Deo fœlix igitur fauente
Ista virtutis studiosa verę
Gens, & illius moritura nunquàm
Gloria crescat.

SYLVA OCTAVA ADVERSVS OBSCOENA CVIVSDAM TENEBRIONIS CONTRA PETRVM ROYZIVM CARMINA.

QVisquis es, innocui crudeli carmine vatis
Ausus es egregiam nuper qui rodere famam,
Non ego te video verę pietatis amore,
Irarum at furijs, solaq; libidine ferri.
Vt maledicendi, sic illa obscœna vomendi
Verba, piorum aures quę lædere cernis honestas.
Defendi taliñe putas ratione Lutherum?
Tàm dirum vesane nefas si impingere falsò
Illi ausis? cuius vel toti cognita mundo
Vita sat est, Rex ipse, & Regis quisquis in aula
Nunc viuit, summo semper dignantur honore
Insignem virtute virum, gentisq; POLonę,
Ingenij monumenta sui, vt testantur, amicum,
Crimine quòd si etiam tanto peccasset & ille,
Iamñe ideò in lucem proferre, & tradere scriptis
Hæc decuit? pietas, & amor num talia suadet
Christiacus? tali num mansuetudine sanctum

Ad Domini errantes homines reuocantur ouile?
Progeniem, at dices, serpentūm, alboq; sepulcra
Tincta colore, vocat Pharisæos, atq; minatur
Vę dirum Christus? sed non adscripserat idem
Immeritò hoc illis, nam veri est autor, & ipsum,
In quo consistunt vt cernimus omnia, verum.
Idq; verecundo fecit sermone, Priapi
Nulla ibi naturę quę sint contraria nostrę,
Sacra audis, quorumq; animus meminisse pudicus
Exhorret: Tales non diligit ille magistros
Qui castus vult casta, & mitis mitia, sacrum
Illius os, nostro ne quicquàm profluat ore
Imperat, ad frugem quod non sit, & afferat orbi
E tot flagitijs aliqua ratione salutem.
Aspice quàm blandè inuitat, quàm corrigit, illos
Qui peccant, Christus mundi Saluator, eadem
Vult etiam ratione suos errantia corda
Flectere, directumq; ad iter reuocare salutis.
Non amat hic rabulas, & tristi tincta veneno
Ora, bonum fuluo nomen preciosius auro
Immeritò alterius qui lædere tentat, haberi
Iurè homicida potest, & morte, aut carcere dignus.
Te quoq; quàm melius fuerat tacuisse, vel illos
Discere, quos nescis, vt te insulsissima produnt
Carmina, Grāmaticos canonas, & subdere dextram
Irati ferulę ob tot fæda errata magistri

Id verò facias, si consultoribus uti
Vis illis, qui recta monent, & Pythagoræum
Ακροάτων taciturnus ages, persæpè tacendo
Sit quamuis stultus sapiens tamen esse putatur.
At præter meritum quod sic laceraueris vltrò,
Musarum prædulce decus, tantumq; Polonę
Gentis amatorem, tali medicarier arte
Huic opus est te flagitio, medicatus vt olim est
Luminibus captis, pulchram damnare Lacænam
Ausus Stesichorus rabioso carmine vates.
At velut ille nihil famę violauit honorem
Carmine mendaci, sic te violasse Royzi
Insignem vatis mendaci carmine famam
Nulla ex parte putes, viget hæc, semperq; vigebit
Dum Tagus auriferis diues flauescet arenis,
Et maris Occidui rapidissimus influet vndas,
Ad quem natus hic est fœlici sydere vates,
Qui socium Celtis dat Iberi nomen, Iberus.

SYLVA NONA
AD AMPLISSIMVM VIRVM PETRVM MISCOVIVM, REGNI POLONIÆ PROCANCELLARIVM; & cet.

IBimus antiquam Græcorum gentis in vrbem
Quę Constantini nobile nomen habet.

Quin etiam

Quin etiam primas Asię peragrabimus vrbes
Magnus vbi imperiū nunc Solymanus habet.
At quia longinquum est iter hoc, & plena periclis
Omnia sunt, terra non minus atq; mari,
Sydereum votis, precibusq; vrgemus Olympum,
In patriam vt saluos fata redire sinant.
REgis & AVGusti fœlicia sceptra tueri
E domita rabie Mosce superbe tua.
Et magnum Regni cum nobilitate Senatum,
Quā penes in nostra est Lachide prim9 honor.
Te verò inprimis Regali sydus in aula,
Attica mella sacro cuius ab ore fluunt.
Qui veteres illos magnis virtutibus æquas
Romuleos, mundi lumina prima, Patres.
Hinc meritò patrię sancto qui feruet amore
A superis optat prospera quæq; tibi.
Optat & ingenuas quicunq; fideliter artes
Excolit, & Musis debita sacra facit.
Ipse ego me vasti partem quamcunq; per orbis
Fata ferent, rebus non satis æqua meis,
Sæpè tuas memori virtutes mente reuoluens,
MISCOVI dicam, Viue, valeq; diu.
Viue, valeq; diu nostri memor, & tua cœlo
Vota feras summi plena fauore Dei.
Serus vt æternos superūm ingrediare penates
Incolumi patria, Sauromatisq; tuis.

SYLVA DECIMA
HYMNVS SPEI, FIDEI, ET CHARITATIS, IN NVPTIIS NOBILITATE ET VIRTVTE PRÆSTANTIS VIRI, DOMINI IOANNIS SELMICII CANDIDI, ET ANNÆ CONSORTIS EIVSDEM CHARISSIMÆ.

PARANYMPHVS.

EIA nunc lætus triumphet
Gaudijs solennibus,
Quilibet Musis amicus.
Candidorum quilibet,
Nomen à Candore Ianus
Qui gerit SELmicius
Iam maritali capistro
Ora sacra porrigit.

II.

En chorus cœlo Dearum
Venerandus aduenit,
Inter illas tres sorores,
Spes, Fides, & Charitas
Nuptijs noui mariti
Læta cantant omina
Certus euentus sed illa
Subsequetur omina.

SPES.

In Deo quicunqꝫ totam
Firmiter ſpem collocat,
Hunc Dei clemens potentis
Cura nunquàm deſerit,
Quæqꝫ ſperat obtinebit
Sponſus vt beatus hic,
Et thoro ſemper pudico,
Et fruetur liberis.

FIDES.

Anna forma, caſtitate,
Et probatis moribus,
Inter huius CRACouinę
Ciuitatis nobiles
Fœminas ſecunda nulli,
Gaudeat fidens Deo,
Nacta quòd fidum maritum
Proſpera ſit alite

CHARITAS.

Iungat æternis pudicus
Vos amor iam nexibus,
Detis vt thori ſubinde
Grata ſancti pignora.
Et ſit impedita nullis
Vita ſic moleſtijs.
Id DEVS vobis benignè
Ille ſummus annuit.

Sylua

SYLVA VNDECIMA
DE HARMONIIS MVSICIS LAMENTATIONVM HIERERMIÆ PROPHETÆ, A VENCESLAO SAMOTVLINO COMPOSITIS.

Hæc rerum facies nunc est studiosa iuuentus,
    Vt lachrymis nullus debeat esse modus.
Nam quocunq; oculos conuerteris, omnia luctus
    Omnia sollicití plena doloris habes.
Seu cœlum, seu tu terrarum aspexeris orbem,
    Et cœlo, & terris causa doloris inest.
Quam sæpè obscura tegitur caligine Phœbus,
    Lumine; quam Phœbe sæpè fit orba suo.
Quàm sæpè, vt taceam criniti syderis ignes,
    Prodigia aërijs visa fuêre plagis,
Sanguineę pugnantûm acies, sæuoq; tumultu
    Feruere Astrigeri climata celsa poli,
At terris cœlo subiectis nonne videmus
    Quàm miscentur ad hunc omnia penè modũ:
Afflicti peste, atq; fame ciuilibus armis
    In sua grassantur viscera Christiadę.
Turcarum intereà miseranda clade Tyrannus
    Pannonicos latè depopulatur agros.
Succumbunt iam belligerę fortissima gentis
    Robora, sed nec opem qui ferat vllus adest.
Nullus adest, qui grassantem crudeliter hostem
    Imperij primas reprimat ante fores.

Vicinas tam dira tenet socordia gentes,
Nec similis terret causa propinqua mali.
Ergo bonę mentes, & quas Epicurea nondum
Inficit, occiduo, pestis, in orbe frequens,
Quid faciant aliud? nisi tristes tempore tali
Quo nullum fermè tristius esse potest
Christiaci plorent populi miserabile fatum,
Quem grauiter læsi numinis ira premit.
Tu quoq; non alia motus ratione fuisti,
Maxima pars animę VENCesilaë meę,
Helciadę planctus, & lamentabile vatis
Cùm faceres tristes carmen habere modos.
Materies certè, cùm sis pietatis amator,
Aptior ingenio non fuit vlla tuo.
Quilibet ergo tui similis, qui pectore toto
Christiaci populi tristia damna dolet.
Hæc placido accipiet lugubria carmina vultu,
Atq; gemens tecum supplice voce petet,
Mitiget vt scelerum Domini clementia pœnam,
Extremumq; diu nolit abesse diem.

CRACOVIAE,
In Officina STANISLAI SCHARFFENBERGII. Anno Domini, 1568.
Mense IANVARIO.